BREVIS DELINEATIO

QUORUNDAM MODORUM FEUDUM RECTUM AMITTENDI.

QUAM

JUSSU AC PERMISSU

Magnifici, nobiliſſimi JCtorum Collegii in incluta Salana

SUB PRÆSIDIO

Viri Ampliſſimi ac Conſultiſſimi

Dn. VALENTINI RIEMERI

J. U. Doctoris religioſiſſimi, Profeſſoris & Scabinatus Aſſeſſoris, patroni, & promotoris ſui colendi,

Publicè examinandam proponit ad diem 15 Martii

JOHANNES GEBHARD

Cygneâ Miſnicus.

JENÆ,

LITERIS WEIDNERIANIS

Anno 1632.

BIBLIOTECA ... ROMA

MOdos Feudum amittendi Deo fortunante conſiderarurus, tacitè præſuppono prius omnes modos legitimos illud acquirendi. Quia nihil tam naturale eſt, quam eodem genere quodque diſſolvere, quo colligatum eſt *l nihil tam naturale ff. de R. J.* Et privatio præſupponit habitum, & amitti nequit, quod ante acquiſitum non fuit, & ſic ſi de amiſſione Feudi quæſtio inſtituatur, illa natura & ordine eſt poſterior. Quemadmodum n. cum contractus ipſo jure nullus, in integrum reſtitutio fruſtra poſtulatur: Ita de Feudo amittendo fruſtrà quæritur, ſi illud jure anteá nō cōſtiterit. De ejusmodi igitur Feudo quod jure conſtitutū ō ſit, nulla nobis hoc in loco erit diſputatio: Sed de eo duntaxat, quod inde ab initio jure conſtitit & rectū dicitur, poſtea vero ex legitimis cauſis amittitur.

Ita autem mihi procedendum, ut primo brevitati ſtudeam per *l. fin. §. 1. C. de appellat l. fin. C. de prec. Imp. offer. l. fin. C. de donat.* ita tamē ne obſcuritas inducatur. Decius *ad L. Regula 1. n. 4. ff. de R. J.* Deinde ut ſaltem modos (non quidem omnes ſed quosdam) in Feudalibus conſuetudinibus ſcriptis contentos proponam, per textus & rationes probem, & tandem quandam meo judicio non informem methodum & ordinem in iis recenſendis obſervem.

Theſis I.

DE vocabulo amiſſionis, ut & de ejus definitione non ſum ſolicitus, cum omnes ferè naturam hujus vocis ſcire putem.

2. Proinde potiùs diviſionem modorum Feudum rectum amittendi breviter, legaliter, & ordine accedens, omnẽ amiſſionẽ, vel reſpectu uſusfructus, vel proprietatis cõſiderari imo nõ ſolũ cõſiderari ſed etiam in his duobus tanquã in ſuis ſubjectis conſiſtere poſſe puto. Prius probatur *arg. § fin. Inſt. de uſufruct. l. penul. C. eod. Feud. 2. tit. 23. in fin. Feud. 2. tit. 28. §. qui clericus Feud. 1. tit. 6. in fin. Feud. 2 tit. 9. tit. 14. & tit. 38.* Poſterius probatur *Feud. 2. titul. 26. § dominio & tit. 47. Feud. 2. tit. 22. § ſi vero.*

3. Prior modus reſpectu uſusfructus conſideratus & de quo potiſſimum noſter ſermo erit, oritur vel ex NECESSITATE, vel LIBERA VOLUNTATE.

4. Neceſſitatem vero ſtatuo hoc in caſu duplicem, ſcilicet legis, & Naturæ. Illa probatur *Feud. 1. tit. 21. & 22. § fin. Feud 1. tit. 17. Feud. 1. tit. 5. 6 & 24. §. itẽ ſi delator Feud. 1. tit. 5. §. item ſi fidelis 17. & 21. § ſi quis Feud. 2. tit. 24. §. rurſus 38.* Hæc *arg. l. 1. C. de jur. emph. Feud. 1. tit. 13. §. & ſi clientulus Feud. 2. tit. 9. §. donare arg. l. ex conducto 15. §. 2 ff. locat.*

5. Neceſſitas legis quæ cogit vaſallum amittere Feudum, late ſeſe extendit, & varia delictorum dolo, vel lata culpa Vaſalli commiſſorum ſub ſe comprehendit.

6 Dolus enim ille vel lata culpa verſatur vel circa ſubſtantialia, vel naturalia, vel accidentalia Feudi.

7. Prioris generis ſunt, quando dolo malo, aut lata culpa contra fidem datam Vaſallus agit. De ſubſtantia enim eſt vaſallum eſſe fidelem tit 7. Feud. 2.

8. Naturalia quando circa qualitates Feudi quæ in dubio ſemper inſunt ipſi, niſi per pacta improprientur, cri-

crimen ſit perpetratum. Mozz. Tract. de Feud. tit. de Natur. Feud.

9. Accidentalia ſi vaſallus pacta extrinſecus appoſita non ſervat. Mozz de Accid. Feudor.

10. Hæc autem fides fracta iterum cognoſcitur tam in faciendo, quam in omittendo.

11. Et hæc duo, vel reſpiciunt dominum directe, vel alium, vel bona ipſa, & ſic Dominum indirectè.

12. De priori igitur infidelitate, quæ reſpicit Dominum directe & in faciendo & omittendo conſiſtit, prius agendum erit.

13. Et quidem quod attinet factum Vaſalli ejus plura exempla adduci poſſent: niſi ratio mei inſtituti aliud ſuaderet. Sufficit ergo quædam declaraſſe.

14. Prior itaque modus Feudum amittendi eſto. Si Vaſallus in perſonam Domini manus impias injecerit *Feud. 2. tit. 24. §. porrò.* multo magis ſi eum occiderit. Ratio. Quia ipſum Vaſallum à tanta ſceleris immanitate non ſolum abſtrahere debuerunt juris naturalis præcepta ALTERUM NON LÆDERE: Sed etiam peculiaris illa ſanctiſſimaque neceſſitudo, quæ ipſi cum domino Feudi interceſſit. Imo jusjurandum quod ei præſtitit, cujus unum caput fuit INCOLUME ne ſcilic. vaſallus in damno ſit domino ſuo de corpore ſuo *tit. 6. lib. 2.* quo item promiſit nunquam ſe fore in conſilio, vel auxilio, vel facto quo dominus amittat vitam *Feud. 2. tit. 7.* Intellige tamen priorem meam poſitionem quando Vaſallus actualiter vulneraverit, ſecus autem ſi ſolum manus elevaverit ſupra Dominum, ut verberaret, ſed non percuſſerit. Probatur hæc limitatio *per l. ſi quis uxori §. neq; verbo ff. de furt. l. lex cornelia 5, §. inter pulſationem ff. de injur.* Item quia non perditur Feudum niſi ex magna cauſa *Feud 2. tit. 24. §. illud enim:* Atque ex elevatione manuum non eſt maxima cauſa, nec atrox injuria. E. Dico tamen ſimpliciter ex elevatione: nam ſi aliæ circumſtantiæ unà concurrerent, prudens judex æſtimabit an ex illis gravis,

& atrox injuria oriatur. Quod Tuum arbitrium informare poterit ex his, quæ in jure Civ. de atroci injuria *ſub tit. ff. & C. de injuriis* referuntur.

15. Secunda cauſa ſit, ſi delator Domini Vaſallus calumnioſe extiterit. *Feud. 1. tit. 17. in verb. manifeſtaverint. Feud. 2. tit. 5. 6. & 24. §. item ſi delator Ubi ex d. §.* limitari hanc poſitionem poſſe quidam putant, ſi Dominus ex hac delatione grave damnum ſentiat. Delatio autem multis modis fieri poteſt, vel in judicio vel extra judicium, ſive illud ſit criminale, ſive civile *Feud. 2. tit. 34. §. ſimiliter*, nec intereſſe hoc in loco puto, utrum ipſe vaſallus accuſet, an per alium accuſare faciat *per l. hoc jure §. dejecit ff de R. J. arg. L. poſt legatum §. ſunt qui putent ff. de His qu b. ut indig.* Unicam hic adjiciam limitationem ex conditione & qualitate Vaſalli deſumptam, ut ſi ille ſit adhuc ejus ætatis, ubi malitia id quod deeſt ſupplere non poſſit, alias limitationes quæ hic adduci poſſem, ſub vocabulo calumnioſe comprehenſas volo.

16. Non levius imo ferme gravius illo delictum eſt hoc tertio jam ordine ponendum, ſi Vaſallus doloſe & ſcienter ſecreta Domini manifeſtaverit *Feud. 1. tit. 17. l. qui injuriæ 53. in pr. ff. de furt.* Promiſit enim hic jurato, quæ ſibi commiſſa à domino, ea ſe non revelaturum *Feud. 2. tit. 7.* Revelando igitur & manifeſtando Feudo privatur, nec immerito. Siquidem revelatores ſecretorum non ſolum in noſtris Conſuetudinibus ſcriptis, ſed etiam olim apud Romanos ſemper odio habiti fuêre. Unde Paulus ſcribit transfugas ad hoſtes, vel conciliorum renunciatores, aut vivos exuri aut furca ſuſpendi debere *l. ſi quis aliquid §. 1. ff. de Pæn.* Deinde quia talis Vaſallus (præſuppono enim juratum) duplex crimen committit per ſupr. adductam rationem. Unum, perjurium committendo, quod non ſolum Deum ultorem habet *l. 2. C. de Reb. Cred.* ſed etiam leges temporalem pænam de hoc admiſſo exigunt *l. ult. ff. de crim. ſtellion. L. nam ſufficit ff. de Dolo in verb. nam ſufficit pæna perjurii l. ſi duo §. ult. ff. de Jurejur:* Alterum, fidem frangendo cui de jure civili etiam graves

pænæ

pœnæ & animadverſiones conſtitutæ ſunt. Quia regula eſt ut ubi de perfidia quæritur damnatum ſequatur infamia. *l. furti 6. §. mandati 3. & fin. ff. de his qui not. infam.* Jam ſi talis Vaſallus fuerit declaratus infamis ex fide ſupra quis affirmabit ipſum ſtare poſſe in Curia Domini inviti: Cum natura Feudi ſuadeat honeſtos, non perjuros, non infideles aut famoſos eſſe in Curia Domini. Imo ipſe Vaſallus propter infamiam Domini non poteſt cogi petere renovationem inveſtituræ: Cur non æque licebit Domino Vaſallum propter infamiam ex delicto adverſus ipſum commiſſo cauſatam, curia ſua eximere & Feudo expellere.

17. Huic accedit quarta amiſſionis cauſa, ſi Vaſallus ſciat aliquem eſſe adverſarium, inimicum aut hoſtem Domini, interim tamen doloſè in perniciem & damnum Domini contrahit amicitiam cum illo *Feud. 2. tit. 57. Feud. 2. tit. 24. §. porro verb. vel aliter inſidiatus.* Dixi vero in perniciem & damnum: Nam alioquin ſi ſimplex amicitia, quæ bona fide, ſine fraude & pernicie Domini cum aliis quantumvis inimicis ejus coleretur, non debet Vaſallo nocere. Nam iniquum certe dominus ab eo poſtularet, ſi vellet eum mandatas iras & inimicitias ſuſcipere ac gerere, omnesque eos odiſſe ac pro inimicis habere, quos dominus forte odit. Fateor tamen eſſe hoc in caſu præſumptionem quandam contra Vaſallum quæ onus probandi in ipſum transferre poteſt, ut doceat ſe bona fide, non in fraudem domini, neque maligno propoſito amicitiam cum inimicis junxiſſe. *per l. liberti in verb: vel inimicis ff. de inoffic. teſtam. l. eum qui ff. de Epiſc. & Cler.*

17. Enumeratis itaque quibusdam delictis in faciendo conſiſtentibus, Dominumque directe reſpicientibus, progrediendum erit ad illa quæ quidem æque directe ad perſonam Domini tendunt; non tamen in faciendo ſed potius omittendo verſantur.

19. Primum erit ſi Vaſallus Dominum non mortuum, neque etiam lethaliter vulneratum in prælio relinquat.

Feud. 1.

Feud. 1. tit. 17. 21. v. ſi quis miles *Feud. 2. tit. 24.* §. item qui dominus *tit. 57. in verb.* ſeu in campeſtri. Ex hac poſitione I. colligo à contrario ſenſu ſi Vaſallus mortifere vulneratũ relinquat, eum nõ amittere Feudum. Duo n. hæc, mortuum eſſe & mortifere vulneratũ eſſe hoc in loco æquiparantur. Et licet hæc aliis in locis non æquiparentur ut eſt textus hac de re in *l. 11. §. Celſus ſcribit ff. ad l. Aquil.* tamen differentiæ ratio videtur dari poſſe luculenta, quia tempore prælii ſemper difficilior ſolet eſſe curatio, quam in pace, ac proinde deſperatur quaſi de ipſius ſalute. II. addo limitationem hanc, niſi Vaſallus vel neceſſitate naturæ, vel facto hominis impediretur. Nam cum Vaſallus in prælio factus eſt inhabilis ad juvandum Dominum, puta, abſciſſis ipſi brachiis, aut vulnere gravi aut morbo affecto: tunc ipſe, dictante natura, excuſatur à reali præſtatione operum, & ſic nec Feudo privari poteſt. Dixi a. à reali præſtatione: Nam ſi conſilium dare aut viam domino monſtrare ſine ejus vitæ periculo poſſet, quo Dominus ab hoſtium manibꝰ liberaretur, is vero hoc non fecit ipſum planè impunitum non volo.

20. Secundum, ſi Dominus fecerit verbalem inveſtituram, offert ſe velle facere realem, & petit à Vaſallo juramentum fidelitatis, & Vaſallus ter admonitus non præſtat ſed omittit, tunc remanet Feudo privatus *Feud. 2. tit. 24. §. eſt & alia ingratitudo.* Ubi limita ex *d. §.* hanc meam poſitionem procedere ubi beneficium tale eſt, ut pro eo jusjurandum fidelitatis fieri debeat. Sunt enim quædam Feuda ita data, ut pro his fidelitatis juramentum non ſit præſtandum *d. §. eſt & alia.*

21. Tertium. Si Vaſallus intra lege definitum tempus non petierit renovationem inveſtituræ *lib. 1. tit. 22. Feud. 2. tit. 24. in pr. tit. 40. §. ult. tit. 52. §. ult. tit. 55. §. præterea ſi quis.* Exceptiones hujus poſitionis plures dantur quas cognoſcendas ex DD. & conſuetudinibus noſtris relinquo. Unicum ſaltem hic dubium urgeo: An nimirum ſi elapſo jam anno & die veniat Vaſallus petens inveſtituram, poſſitne moram pur-

purgare & effugere pænam caducitatis? In hac opinione licet dubitantes ſint Dd. tamen ego illorum opinioni qui nullam admittunt purgationem moræ ſubſcribo.

22. Quartum. Si Dominum carceri injuſte incluſum non redemerit *Feud. 2. tit. 24. §. illud.* Ratio hujus aſſertionis eſt, quoniam carcer mala manſio dicitur, *l. item apud 15. §. quæſtionis 4. ff. de injur.* & injuriam infert *d. tit. 24. §. denique.* At Domini injuriam Vaſallus propulſare tenetur. *Feud. 2. tit. 7.*

23. Quintum. Si Vaſallus denegat præſtare debitum ſervitium Domino *Feud. 2. tit. 24. § ſed non eſt alia cauſa.* Ubi juſtior cauſa beneficii amittendi appellatur, ſi id ſervitium propter quod Feudum datur, præſtitum non eſt. Illa vero ſervitia petenda ſunt ex inveſtitura, & ſi nulla mentio certorum ſervitiorum facta ſit, procedendum ad naturam Feudi, ex illaque cognoſcendum quæ tacitè præſtanda veniant. Ratio I. hujus theſeos. Quia qui ſervitium denegat ad quod præſtandum juramento ſe aſtrinxit *Feud. 2. tit. 7.* uti fidem fallit: ita eandem non eſt, ut expectet. Fallere fidem grave quidem eſt *l. 1. de conſtit. pec.* ſervare Juri Naturali conveniens *l. 1. ff. de pact.* attamen frangenti frangenda eſt, & non ſervanda *l. cum proponas C. de transact.* Deinde beneficium datur propter officium, ceſſante officio, merito etiam ipſum ceſſabit beneficium. Facit huc quod ob cauſam datum, cauſa non ſecuta poſſit condici *tot. tit. de condict. cauſ. dat. cauſ. non ſec.* Limita tamen ex *d. §. ſed non eſt alia* non procedere, ubi Vaſallus ideo non ſervit, quia non potuit. Deinde intellige, ſi Vaſallus ſit interpellatus *Feud. 2. tit. 26. §. licet*, vel ſi ſciverit ipſe Dominum periclitari, quia hoc in caſu debet præbere ſervitium non expectata interpellatione *Feud. 2. tit. 24. §. præterea.* Poſtea ſupra dicta de ſervitio à Vaſallo Domino non præſtito non ſaltem de perſonali ſed & de reali intelligenda ſunt. Itaque ſtatuimus Vaſallum, qui de Feudo ſolvit canonem ſi ceſſaverit per trien-

nium dolo malo ſolvere, Feudo privari poſſe.

24. Et ſic ſextum delictum ſeu cauſam privationis in omittendo conſtituimus. Rationes ſeu fundamenta hujus aſſertionis quædam proponam & quidem I. *Feud. 2. tit. 24. §. ſed non eſt alia*, propter textus generalitatem. II. Quia intermiſſione ſolutionis annui Canonis non minus verſatur contemptus Domini, quam in ipſa denegatione ſervitiorum perſonalium. III. Quia talis Vaſallus eſt perfidus in dominum qui diu in ſolutione ceſſat. IV. Quia pactum poteſt apponi in inveſtitura, & ſi illud non ſervetur amittitur Feudum. V. Quia quando caſus quidam emergunt qui in conſuetudinibus Feudalibus non ſunt expreſſe comprehenſi & deciſi, absque calumnia uti poſſumus lege ſcripta: Cum vero hic noſter caſus expreſſe & determinate non habeatur in jure Feudali. Ergo nobis recurrendum eſt ad Jus Civile, probamusque *ex l. 2. C. de jur. emphyteut. illam C. de collat*, ubi dicitur quod Emphyteuta non ſolvens Canonem cadit jure Emphyteuſeos.

25. Abſolvimus hactenus modos Feudum amittendi reſpectu uſusfructus, & qui directe Dominum violant, & in faciendo & omittendo conſiſtunt. Paucis itaque & illorum, quæ non ad Dominum directe, ſed ad alios ſpectant, explicatio tradenda erit.

26. Illi vero ſunt vel aliquo neceſſitudinis vinculo juncti Domino, vel extranei. Prius probatur *Feud. 2. tit. 24. §. porro Feud. 2. tit. 7. in verbis nunquam ex perſona Domini faciam ſcienter, quod pertineat ad tuam, vel tuorum injuriam vel contumaciam.* Ita etiam jure civili definitum eſt ut quis non tantum in perſona directè injuriam patiatur, ſed etiam per conſequentias, nimirum in perſonis poteſtati, ſive affectioni domini ſubjectis, ut ſcribit Ulp. *in l. 1. §. item aut per ſemetipſum ff. de injur. § patitur autem Inſt. eod.* Poſterius infra demonſtrabitur.

27. Prio-

27. Prioris generis ſunt Uxor Item filia Domini &c. *Feud. 2. tit. 24 in fin.*

28. Privatur igitur Vaſallus non immerito Feudo, ſi cum uxore Domini rem habuerit, vel ſaltem attentaverit concumbere *Feud. 1. tit. 5. §. item ſi fidelis tit. 21. verſ. ſi quis miles. Feud. 2. tit. 24. §. rurſus.* Ratio poſterioris ſive extenſionis eſt. Quia in maleficiis potius voluntas quam effectus inſpicitur *l Divus ff. ad l. Cor. de Sicar.* & in atrocioribus delictis punitur affectus, licet non ſequatur effectus *l. ſi quis non dicam rapere C. de Epiſc. & Cler.* Deinde hanc meam poſitionem etiam ad viduam intra annos luctus conſtitutam extenſam volo. Ratio I. petitur ex *l. ult. C. de Incol. lib. 10. l. ult. C. de bon. qua lib.* II. *ex l. quoties C. de privil. ſcholar. lib. 12.* III. *ex l. 1. & 11. §. notatur ff. de his qui not. infam.* IV. Quia vidua defuncti Domini, quæ intra tempus luctus vaſallum veneris cauſa admittit, ſuſpicionem de ſe movet adulterii, vivo marito cum ipſo vaſallo commiſſi *arg. Nov. 39 §: ſi enim illa lex.* V. quia Vaſallus, qui intra luctus tempus cum vidua Domini ſui concumbit, occaſionem præbet turbandi ſanguinem defuncti domini *per tex in l. liberorum 11. §. 1. in fin. ff. de his qui not. infam.* Limitatur principalis mea aſſertio, ut non procedat, quando vaſallus ignoranter adulteraſſet uxorem Domini ſui *Feud. 2. tit. 17.* niſi ignorantia adſit craſſa & ſupina. Deinde, Vaſallum qui coitum habuit cum uxore domini, de voluntate domini minimo Feudo privandum volumus *arg. l. cum donationis C. de transact. l. 1. §. usq; adeo ff. de injur.* Et hæc de uxore domini. Sed quæritur anne etiam ulterius procedendum & eadem pœna privationis fidelem afficiendum qui filiam Domini ſtupraverit? Reſp. *quod ſic Feud. 2. tit. 24. §. rurſus & per ſupr. all.*

29. Poſterioris generis ſunt uti dixi extranei, ſed non omnes extranei, ſed quidam, & quidem illi, ſecundum aliorum opinionem, in quos parricidium committi poteſt *arg. l. 1. ff. ad l. Pompei de parricid.* Imo dicunt Feudum amitti poſſe etiamſi Vaſallus tantum inſidias ſtruxerit vitæ talium

 perſo.

perſonarum, nec ſecutus fuerit eventus *arg. l. 1. in fin. l. 7. ad Pompiam de parricid.* aut ſi ſaltem adjuverit parricidium ab alio ſuſceptum aut conſcius fuerit criminis *arg. l. 2. & 6. ff. d. tit.* §. *alia deinde lex, verſ. nec non in. Inſt. de pub. jud.* Verum cum inſtitutum meum non patiatur plures alias in Jure Feudali non deciſas controverſias proponere, relinquo de hoc aliis judicium. Proponam autem caſum in Feudis determinatum de fratre Vaſalli, ubi ſi ille à fratre Vaſallo ſcilicet occidatur ſequitur privatio Feudi *Feud. 2. tit. 5. §. item ſi fratrem tit. 24. §. deniq; ſæpe verſ. ſi vero non in dominum tit. 37. in pr. l. 1. ff. ad Leg. Pompei. de parricid.* Ratio 1. ſumitur ex alleg. tex. quia hoc crimen inter parricidia numeratur, proinde æquum non eſt ut tam infamis perſona in curia domini amplius verſetur. Deinde ſequeretur alias fratrem Vaſallum ex delicto lucrum ſentire poſſe, ut ſi Feudi totius obtinendi cauſa fratrem occidiſſet.

30. Reſtat nunc ut breviter & ordine quædam delicta amiſſionis ſeu privationis Feudi circa bona ſeu res ipſas verſantia proponamus.

31. Illaque bona vel ſunt propria domini, vel feudaliſa.

32. Prioris exemplum eſt, ſi Vaſallus inſultaverit hoſtiliter, fraudulenter caſtrum domini *Feud. 1. tit 5. §. ſimiliter.* Vocabulum vero caſtrum hic non ſtricte ſumimus, ſed ſimul etiam ad alium locum domini per rationes juris textusque in conſuetudinibus expreſſos merito extendimus *Feud. 2. tit. 24. §. porro.* Nec diſtinguimus an Vaſallus ſciverit Dominum ibi eſſe, an vero ignoraverit. Quia taliter delinquendo Vaſallus venit contra ſacramentum ſeu formam fidelitatis, cum hoc tendat in damnum domini *Feud. 2. tit. 7.* Si vero Vaſallus & caſtrum & Dominum ibi eſſe probabiliter ignoraverit, concedimus ipſum non eſſe privandum *Feud. 1. tit. 5. §. ſimiliter Feud. 2. d. tit. 24. §. porro.*

33. Poſterioris habes teſtimonia, & quidem 1. ſi Vaſallus Feudum fraudulenter fuerit inficiatus *Feud. 2. tit. 26. §.*

Vaſallus & tit. 34. §. fin. in fin. Sic etiam de Jure Civ. paſſim inficiationis, pœnæ conſtitutæ ſunt, ut in *l. ſi dubitet 10. §. ita demum ff. de fidejuſſor.* ubi neganti fidejuſſionem beneficium Divi Adriani adimitur *l. inde Neratius 23. §. 10. ff. ad l. Aquil.* ubi neganti damnum pœna in duplum infligitur, quemadmodum & in depoſito tumultus, ruinæ, naufragii & incendii cauſa *l. 1. ff. depoſit.* & legato ad pias cauſas relicto *§. fin. Inſt. de oblig. quæ ex quaſ. contr.* Accedit & hæc ratio quia fidelis, cum ipſe damna ab aliis domino impendentia avertere debeat, inque recuperandis rebus injuſtè amiſſis dominum juvare *lib. 2. tit. 24. §. præterea* multo magis ab omni maleficio & damno ipſemet abſtinere debet.

34. Secundo Vaſallus Feudum alienans inconſulto domino jure cadit ſuo *Feud. 2. tit. 55. verſ. callidis inſuper Feud. 2. tit. 52.* Ad quam alienationem tria requirimus. I. ut fidelis ſciens Feudum eſſe alienet. Ignorantia enim qualitatis rei eum excuſat, ut probatur *Feud. 2. tit. 26. §. ſi Vaſallus Feudum.* Et in dubio Feudum non præſumitur, quod de natura ejus eſſe dicit Mozzius in tract. Feud. lit. de natur. Feud. n. 2. rationemque addit hanc, quia quando res eſt feudalis, dicitur quandam ſervitutem in ſe habere *per l. unius §. ſi uſusfructus in verb. oportet ff. de uſufr.* & quælibet res præſumatur libera, niſi de ſervitute probetur *l. altius C. de ſervit. l. fin. ff. eod.* Proinde cum talis fidelis qui ignorat conditionem aut qualitatem rei non ſolum præſumptionem pro ſe habeat, ſed etiam dolo careat, omnino erit excuſandus nec à Feudo expellendus. Alterum requiſitum ponimus, ut alienatio effectum ſuum ſortita conſummataque ſit *Feud. 2. tit. 44. §. ex ea lege tit. 55. verſ. callidis tit. 24. §. deniq; in fin.* Tertium ut interveniat declaratio à domino, ſe velle rem feudalem in commiſſum cecidiſſe. Hinc oritur ex 2do requiſito quæſtio. An clauſulis quibusdam & proteſtationibus in actu alienationis ſibi proſpicere fidelis poſſit, ut propterea Feudo non cadat, ut ſunt ſi domino directe placuerit, vel ſi dominus conſenſerit? Nego. Nam licet per has clauſulas jus Domini

integrum maneret: tamen illa ratio ad excuſandum non ſufficeret, & haberetur illa clauſula pro ſuperflua & ſupervacanea, cum alias etiam omiſſa hac conditione dominus omnino jus ſuum integrum & inviolabile ſervaret. Proinde alia ratio eſt quærenda, & quidem illa, quæ conſiſtit in reverentia domini, quam talis fidelis non obſervat, per ſupr. adduct. *tex. Feud. 2. tit. 55. verb. & honor Imperii.* Deinde harum clauſularum nulla fit mentio in noſtro Jure Feudali. Licet quis dicat propterea eſſe recurrēdum ad jus commune. Reſpondeo, niſi ipſe textus & ratio feudalis tacite prohiberet *per ſupr. adduct. text.* Videatur ſæpe adductus textus *Feud. 2. tit. 55.* ubi addit varias rationes Imperator ob quas prohibuerit alienationem ſine ſpeciali permiſſu domini. Prima eſt, ne domini debita ſervitia amittant. Altera ratio eſt honor Imperii. Tertia. Quia ſi Imperator Fridericus voluiſſet haſce clauſulas idem obtinere ac impetrationem expreſſi conſenſus, utique longo conſilio habito Epiſcoporum, Ducum, Marchionum & Comitum &c. aliquid de eo diſpoſuiſſet. Sed de hoc nihil. Imo potius tacito quam expreſſe iſtas clauſulas rejicit, cum requirat pure & in initio conſenſum domini intervenire debere. Accedit 4to quod Imperator etiam ſcribam puniri vult ſi Inſtrumentum ſciens conſenſum non interveniſſe conſcripſerit. Jam ſcriba aut perſona publica Inſtrumentum ſub hac conditione ſi dominus conſenſerit, ſciens conſenſum non intesveniſſe, ſcribit. Ergo illa pæna in tex. nominata erit afficiendus. Si hoc: præſupponitur vere & legitime non, ſed per callidas machinationes contractum fuiſſe, propter quam cauſam punitur ſcriba. Ex his tale fluit argumentum. Propter callidas machinationes Vaſallus Feudo privatur: Atqui hoc in caſu tales ſunt Erg. Adjungo 4. textum *Feud. 2. tit. 52. verb. ſi quis vero contra.*

35. Tertia amiſſionis cauſa concernens bona Feudalia fit, ſi Vaſallus infeudaverit Feudum alia lege quam qua ipſe habet, vel in talem vaſallum qui Feudum ſervare non poteſt,

Feud.

Feud. 2. tit. 9. §. ſi vero verſ. quod & ipſum Feud. 2. tit. 3. §. 1. verſ. per Feudum tit. 26. §. beneficium, tit. 34. §. ſimiliter. Debet enim ſubinfeudatio fieri legitime. Ad quod tria requiruntur. I. ut fiat ſincere *d. tit. 9. § ſi vero verſ. quod & ipſum.* II. perſonæ æquali aut certe melioris, non deterioris conditionis quam eſt prior Vaſallus *d. §. beneficium d. §. ſimiliter.* III. ſub iisdem conditionibus ſub quibus ſubinfeudans illud à domino accepit *per d. §. ſimiliter Feud. 2. tit. 55. §. firmiter verb. domino acceptabile.*

36. Cauſas Feudum aperiendi in Neceſſitate legis conſiſtentes pauciſſimis hactenus deſcripſimus, & explicavimus cui nunc ſuccedit ordine Neceſſitas Naturæ, quæ æque Feudi conditionem immutat.

37. Illa autem conſideratur, vel reſpectu interitus rei feudalis, vel perſonæ.

38. Et quod attinet interitum rei, dicimus unumquodque Feudum una cum rei interitu, in qua id conſtitutũ eſt, etiam ipſum interire, argumento uſusfructus *§. fin. Inſt. de uſufr. l penult. C. eod.* Item Emphyteuſeos *l. 1. C. de jure Emphyt.* Conſtituitur enim Feudum in alieno prædio tanquam jus in illo ita ut proprietas ſemper maneat apud dominum, uſusfructus vero ad Vaſallum ejusque ſucceſſores redeat *Feud. 2. tit. 23. Feud. 2. tit. 1. in fin.* Sublata igitur re, in qua utpote in ſuo ſubjecto jus aliquod eſt, ipſum etiam jus tanquam rei adjunctum interibit, & acceſſorium ſequitur ſuum principale *l. cum principalis ff. de R. J. jung. d. §. fin. Inſt. de uſufr. l. 1. conducti 15. §. 2. ff. locat. l. qui univerſas 30. §. item gamari l. cum anus §. fin. ff. de bon. autor. jud. poſſ.*

39. Interitus perſonæ diſſolvit Feudum, ut ſi Vaſallus nullum ſucceſſorem relinquat cui jus ſuccedendi in Feudo ex inveſtitura competit. Tum enim Feudum ad proprietatem revertitur & ex eo tempore nudæ proprietatis dominus incipit plenam in re habere poteſtatem, exemplo uſusfructus *§ fin. Inſt. de uſufr. l. pater 15. in fin. ff. de caſtrenſ. pec. l. ſi extraneo 46. ff. de uſufr.* Ratio eſſe poteſt altera quia Feuda ad

con-

conſervationem Familiarum ut plurimum dari ſolent: Extincta igitur familia, in cujus gratiam Feudum conceſſum, tanquam ceſſante una ratione, ob quam datum fuerat, Feudum ad ſuam originem revertitur, unde profectum erat.

40. Explicata jam una principali hujus diſputationis parte de modis ſcil. qui in Neceſſitate & quidem legis vel naturæ fundamentũ habent, nunc de iis qui ex libera voluntate vaſalli dependent ſermo erit. Quæ libera voluntas alias uno vocabulo refutatio dicitur

41. Illa autem dupliciter contingit, videlicet expreſſe, & tacite, utraque vel Domino, vel agentis.

42. Expreſſa fit, ſi vaſallus renunciaverit Feudum in manus domini, dominusque conſenſerit *Feud. 2. tit 38. Feud. 2. tit. 14.* Ratio hujus rei eſt, Quia vaſallus non tam propter perſonam, quam ob rem obligatur, quam ſi velit refutare, amplius non tenebitur, etiamſi dominum offendere non debeat. Manet enim etiam poſt refutationem dominici juris ſcintilla quædam ac reliquiæ *Feud. 2. tit. 38.* Deinde quia Feudum eſt jus quod per contractum conſtituitur, quodque in favorem vaſalli conceditur *Feud. 2. tit. 23. in fin.* nec prætextu pecuniæ ſed amore domini acquiritur *Feud. 1. tit. 27.* Poteſt igitur Vaſallus huic favori renunciare *per l. pen. C. de pact.* Nec talis refutatio fit in præjudicium domini, quia ille in re ſua plenam poteſtatem recipit *Feud. 2. tit. 54.* Intellige tamen hanc ultimam rationem, quod procedat regulariter. Datur enim exceptio ubi vaſallus propter graviſſimum & præſens præjudicium ſeu damnum domini Feudum refutare prohibeatur. Utputa, ſi dominus eſſet in prælio & vaſallum adjuvandum vocaret: Ille vero recuſaret & fraudulenter Feudum refutaret, eo caſu quia dominus in illa expeditione bellica non ſtatim providere de æquali vaſallo poteſt, dicimus vaſallo renunciationem prohiberi.

43. Tacita quæ potius improprie dicitur refutatio variis modis accidit, quos omnes enarrare longum foret. Proinde ſaltem quosdam declarabimus.

44: Pri-

44. Primò, ſi quis habeat Feudum illudque poſſideat, poſtea promoveatur ad ſacros ordines, Feudum ex ſua perſona tacite renunciare videtur *Feud. 2. tit. 21. ibi in verſ. eſſe deſiit miles ſeculi, qui factus eſt miles Chriſti Feud. 2. tit. 36. Feud. 2. tit. 26. §. qui clericus.*

45. Secundo, ſi heres vaſalli ſteterit per annum & diem nec petierit à domino inveſtituram, *Feud. 2. tit. 24. in pr.* aut ſi ipſe vaſallus mortuo domino ab ejus hæredibus intra tempus conſtitutum renovationem non petierit *Feud. 2. tit. 24. in pr.* Huic poſitioni adde limitationem, niſi juſta cauſa vaſallus, aut ejus heres impediatur *Feud. 2. tit. 52. §. quoniam.* Ibi enim dicitur, quod vaſallus ſi non doloſe per annum & diem ſteterit, quod à domino ſui benificii inveſtituram non petierit, Feudum non amittat. Etenim dolus abeſſe videtur ſi juſta cauſa impediente ſteterit. Juſta vero cauſa eſt in vaſallo ætas, ubi diſtinguendum eſt, an impubes, vel pubes ſit. Si impubes omni iſto tempore quo impubes eſt non tenetur *Feud. 2. tit. 26. §. ſi quis deceſſerit.* Si vero pubes, cujuscunque etiam ſit ætatis, tam minor quam major 25. ad obſervationem temporis ipſo jure tenetur. Puto tamen hoc in caſu minorem 25. ann. habere reſtitutionem in integrum ſi probare poteſt ſe propter ætatem lapſum eſſe per *tot. tit. ff. de minor.* Aliæ juſtæ excuſationis cauſæ ſunt, abſentia domini qualiscunq; illa ſit juſta vel injuſta, probabilis vel improbabilis *Feud. 1. tit. 22. in pr.* Inimicitiæ capitales inter dominum & vaſallum *d. tit. 22.* citra tamen culpam vaſalli natæ. Et hæc de refutatione expreſſa & tacita in dominum ſufficiant.

46. Refutatio à Vaſallo in agnatos, vel fit deſcendentibus vel collateralibus vaſalli.

47. De deſcendentibus textus eſt *Feud. 2. tit 14. Feud. 2. tit. 11. tit. 39.*

48. De collateralibus videantur Dd. ad *Feud. 2. tit. 26. §. Titius fin.* quod tamen procedere volunt ſaltem in Feudo antiquo & non in novo. Debet etiam in hoc caſu reſpectus

haberi proximitatis, ita, ſi velit firmiter refutare Feudum agnatis, proximiori & non remotiori refutare debet. Nam licet, ſi ceſſio remotiori fiat, valeat refutatio reſpectu domini: tamen reſpectu agnati proximi ſine effectu eſt cum ipſe revocandi Feudum poteſtatem habeat. Hæc paucula dixiſſe ſufficiat, reliqui modi qui reſpectu proprietatis conſiderari debuerant, differantur in aliud tempus.

COROLLARIUM.

Unicum addo, cum in diſputatione hac non Doctorum autoritatem, ſed vel legem expreſſam vel rationem legis ſecutus fuerim, occaſione hujus quæritur an potius legi expreſſæ, an vero Dd. autoritati abſolutæ ſit credendum? Prius affir. Poſterius Neg.

Præſtantiſſimo & literatiſſimo Dn. Reſpondenti, Amico perdilecto.

DUm legit alta ſui Titan veſtigia curſûs,
Frigida vivifico prata calore fovens:
Te quoque vis melior, perdocte Gebharde, ſagacis
Ingenii vires exſinuare jubet.
Scilicet Aonio diſcurris acumine mentis,
Qui pereant Charitum munera, Feuda, docens:
Quòd noceat modò velle ſuum, modò culpa Fideli;
Sæpe vaſallagium triſtia fata negent,

Quid

Quid Dominum deceat contra feciſſe Vaſallum

Ut cadat imprudens proprietate rei?

Implicitas ratione vices tua Muſa revelat,

Singula quò meliùs perſpicienda ſient.

En ego laurifero fluitantia carmina verſu

Nectere ſi poſſem, ſi mihi vena foret.

Ipſe, Gebharde, tuas operas ad celſa referrem

Culmina Parnaſsi: qui tuus eſſet honor.

Proſequor inde tamen gratanti voce laborem,

Talibus & curis ſpondeo digna tuis.

Scande ſuper cathedram, dotes mihi prode latentes;

Victrices palmæ tempora docta tegant.

Florilegas luſtrare DEAS viridantia rura,

Dicunt, de violis ut Tibi ſerta parent.

Nempe is primitiis his Veris dignus habetur,

Qui noſtram parili tendat amore Dicen.

Amicitiæ ſincerioris ergo gratul.

f. in Academia Salanâ

M. Hieronymus Brunner.

M*Ars regit arma ſonant, totus bello flagrat orbis,*

in ſeculo iſthoc ultimo.

Divitiæ nunc, miles ait, virtus, nunc fama perennis

parantur atq; gloria.

Sat benè, ſi juſte; non omnibus omnia pulchra,

major putatur gloria,

Quæ fluit ex ſancti ſpatioſo corpore juris

è fonte ceu dulciſſimo

Hujus cùm longò fueris tu tempore alumnus,

Gebharde dilectiſſime.

Magnus te meritò comitatur honos. Ubi? quæris,

pulpita monſtrant publica.

Ita φιλικῶς gratulatur

M. Sebaſtian Wolffgang Höpffner.

Quan-

QUantus amor Juris diſcendi, quantaque cura
Gebbarde temet occupet,
Id Philyræ celebre
Nec non Salanum novit prælustre Lyceum.
Exculta diſputatio
Ec quid & hoc aliud
Indicat, Eunomiæ quàm quod myſteria ſacræ
Abſtruſa ſint tibi ſatis
Cognita dum ſolidè
Diſſeris ac ſcribis de Feudis. Ipſe proinde
Grator tibi lætus Themis
Laurea ſerta parat.

Ita
Gratulabundus depropera bat
Johan. Martinus Foman S S. Th. St.

SIc Gebbarde tua laudis cumulabis acervum,
Publica quod ſcandis pulpita, dante Deo,
Inſervis Muſis, Aſtræam pectore volvis,
Aurea te virtus, hinc colit atq; fovet.
Macte animo, generoſe, tuo ſic gloria factis,
Quæritur: atq; Themis, præmia digna dabit.

Ita animitus Domino populari, commenſali, ac Amico ſuo calamo currente gratulabatur
Gottfrid Heiſinger Cygn. Miſnic.
Phil. & Medic. Stud.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITT. EMANUELE

SOLI DEO GLORIA.